

«OPTIO PRAECIPUA PAUPERUM»

De ecclesiali pro pauperibus optione tamquam theonomae moralitatis criterio

SUMMARIUM: *Quaestio introducitur*: De habitudine inter optionem pro pauperibus praecipuam et criterium theologicum moralitatis. De sic dicta «ecclesia pauperum» praeliminaris quaedam consideratio. II. *Conspectus sententiarum*: De habitudine Ecclesiae ad pauperes theologiae sententiae, necnon de sic dicta «liberationis theologia» conspectus opinionum. III. *Obiecta considerantur*: De habitudine fidelium qua talium ad rem publicam. De ecclesiali receptione doctrinae circa optionem pro pauperibus praecipuam. Quaestiones quaedam disputatae praesertim de theologica methodo. IV. *theologica argumenta* circa optionem praecipuam pauperum: De habitudine liberationis historicae ad mysterium salutis in Christo. De potiori missione Ecclesiae ac de optione pro pauperibus praeferentiali. V. *Ethica argumenta* circa optionem pro pauperibus: Quaestiones in societate urgentiores ethice consideratae. Solidaritatis principium in «ethica liberationis». De reductione optionis praecipuae pro pauperibus ad maximum principium moralitatis christianae.

I

Considerandum in primis est, num optio pro pauperibus praecipua habenda sit tamquam *criterium moralitatis* christianae, atque iterum quo sensu haec proferatur sententia, num etiam quaedam obiciantur sive circa methodum et praesupposita, sive circa dogmatica atque ethica argumenta, quae saepius affe-

runtur, dum certa quaedam sententia concludere liceat¹.

Inde a prophetico IOANNIS XXIII nuntio de *pauperum ecclesia* usque ad hodierna IOANNIS PAULI II de re sociali documenta, quaestio de ecclesiali optione pro pauperibus magis magisque theologicae ac ethicae disceptationum veluti centrum evadit, usquedum aliquoties tamquam christianae moralitatis criterium habeatur totius pastoralis actionis Ecclesiae ac insimul tamquam signum praesentiae christifidelium in civitate². Sub lumine fidei, inter pauperes et Ecclesiam habitudo perspicitur, dum praecipua pro pauperibus optio tamquam ethicum imperativum ab ipsa ecclesiali communitate recipitur ac theologis et moralibus argumentis illustratur, quinimmo Christi communitas prouti «ecclesia pauperum» extollitur³, atque simul ipsa quaestio de liberatione pauperum intime cum Christi evangelio connexa perspicitur ac proclamatur⁴. In quibusdam Ecclesiae documentis atque in perplurimis Romani episcopi allocutionibus,

¹ Cf. F.A. PASTOR, *De optione praeferentiali pro pauperibus iuxta hodiernum magisterium Ecclesiae*, in *Periodica* 77 (1988) 195-217.

² IOANNES XXIII, Nuntius radiophonicus de Conc. Ecum. Vaticano II, in AAS 54 (1962) 678-685, praes. 682: «*la Chiesa si presenta quale è, e vuol essere, come la Chiesa di tutti, e particolarmente la Chiesa dei poveri*».

³ CONC. ECUM. VATICANUM II, Const. dogm. *Lumen gentium*, n. 8: «Sicut autem Christus opus redemptionis in paupertate et persecutione perfecit, ita Ecclesia ad eandem viam ingredientem vocatur, ut fructus salutis hominibus communicet».

⁴ PAULUS VI, Adh. ap. *Evangelii nuntiandi*, n. 30: «Ecclesia - sic eius inculcaverunt Episcopi - officio tenetur nuntiandi liberationem centenorum milium hominum, cum eorum plurimi eius filii sint; officio pariter tenetur hanc liberationem adiuvandi, ut oriatur, pro ea testificandi, ut eadem plena sit».

praesertim ad Americae Latinae populos, non pauca referuntur sive de praecipua pro pauperibus optione, sive de utilitate alicuius theologiae circa pauperum liberationem, quin vero christianae fidei certitudines axiomatibus marxiani systematis subordinentur⁵. Re vera, ex luce mysteriorum christianae fidei tota pauperum liberationis quaestio perspicenda est, dum simul concordia inter ethica principia et practicas optiones semper iuxta regulas theologiae traditionis iudicanda est⁶.

Ecclesiologica capita Concilii ecumenici Vaticani II saepe saepius influxum magnum exercuerunt. Ecclesiae particulares renovantur valde, dum fidelitas quam maxima quaeritur erga christianae communitatis veritatem, simul mystericam et historicam, immanentem et transcendentem. In divina Trinitate fundata, ipsa enim Ecclesia *communio* extat ac veluti salutis sacramentum ac signum totius humanitatis, ex divino consilio constitutum, dum historice tamquam Dei populus per tempora transit⁷. In theologica doctrina atque in pastoralis praxi, multoties ecclesialis communitas tamquam realitas perspicitur simul charismatica ac diaconalis, dum quaedam veluti notae inveniuntur, uti evangelicum nuntium et propheticum denuntiatio-

⁵ IOANNES PAULUS II, Litt. Enc. *Laborem exercens*, n. 8: «Ecclesia circa hanc causam se maximo sentit teneri officio, cum eam suam esse arbitretur missionem, suum ministerium, probationem fidelitatis suae erga Christum, eo consilio ut revera sit «ecclesia pauperum».

⁶ IOANNES PAULUS II, Alloc. in Sem. Palafoxiano in urbe Puebla de los Angeles (28.I.1979), in AAS 71 (1979) 187-205.

⁷ Const. dogm. *Lumen gentium*, n. 9: «Itaque populus ille messianicus, quamvis universos homines actu non comprehendat, et non semel ut pusillus grex appareat, pro toto tamen genere humano firmissimum est germen unitatis, spei et salutis».

nis verbum, nobilis pro iustitia pugna ac simul caritas vera, tamquam exercitium praecipuae erga pauperes optionis. Ope pastoralis planificationis, a quibusdam Episcoporum conferentiis impense Ecclesiarum particularium renovatio promovetur. In hoc renovationis processu, partes obtinent maximas minimae ecclesiales communitates «a basi» nuncupatae, ubi maximum communionis simul cum minimo structurarum invenitur. In ipsis locus datur, ubi pauperes evangelizantur atque in ulteriorem mystagogicum catechumenatum sponte reducuntur, humana vita sub lumine fidei consideratur ac temporalia problemata cum ethicis imperativis componuntur, Christifideles pacifice pro iustitia pugnant ac contra iniquitatem in civitate resistunt⁸.

Rerum socialium scientia rite cognoscit miserandam pauperum condicionem, quae in perplurimis orbis regionibus eorum vitae valde adversatur, praesertim apud populares coetus atque apud gentes quorum culturae oppressae atque vexatae dicuntur. Coram tristissima indigentia, Ecclesia, praesertim dum Conferentiae Episcoporum Americae Latinae in urbibus Medellin et Puebla habebantur, explicite optionem pro pauperibus praecipuam proclamavit, sive iniustam denuntians miseriam, sive evangelicam nuntians paupertatem, sive optionem pro pauperibus ex caritate proclamans praecipuam. Ad hanc praefe-

⁸ SEGUNDA CONFERENCIA EPISCOPAL LATINO-AMERICANA, *La Iglesia en la actual transformación de América Latina a la luz del Concilio*. Bogotá ⁵1970; TERCERA CONFERENCIA EPISCOPAL LATINO-AMERICANA, *La Evangelización en el presente y futuro de América Latina*. Bogotá 1979. Vide etiam F.A. PASTOR, *Ministerios laicales y Comunidades de base*, in *Gregorianum* 68 (1987) 267-305.

rentialem optionem ponendam, ecclesialis communitas in divino salutis consilio inspirationem sumpsit, quatenus ipse Iesus pauperibus liberationis verbum nuntiavit⁹. Ecclesia ergo impense iniustam denuntiat paupertatem, quae tot hominum multitudines opprimit. Ex ipsa enim miseria tristissima sequuntur consecraria, nempe, infantium mors, esuries atque inedia, merces insufficiens, ex proprio officio amotio coacta, habitationis inopia, socialis securitatis indigentia, emigrationes hominum magnae. Coram his adiunctis, Ecclesia integralis liberationis nuntium proclamat, sub lumine evangelico novae creaturae in Christo figuram quaerens, quin immanentibus reductur dimensionibus, sive ordinis oeconomici ac politici sive ordinis culturalis ac socialis. Theologicae veritatae lumine ducta atque ethica sequens axiomata magisterii, Ecclesia sibi postulat ius aperte interpretandi traditionem, ut melius ac aptius rerum novarum adiunctis responsum offerat optimum¹⁰.

Iuxta Ecclesiam enim Americae Latinae, integralis liberationis propositum oritur ex ipso fraternae caritatis mandato dominico atque ex socialis iustitiae postulatis. Quaestio ergo liberationis fit punctum firmum programmatis ecclesialis. Cum regnum Dei etiam adhuc in historia quodammodo praesens fiat, Ecclesia ennixe meminit ethica principia hominum societatem ordinare, nempe, boni communis primum atque personarum dignitatem praecipuam. Soli-

⁹ F.A. PASTOR, *L'opzione preferenziale per i poveri e la Chiesa d'oggi*, in *L'opzione preferenziale per i poveri*. Roma 1986, 39-63.

¹⁰ F.A. PASTOR, *Ecclesia et Evangelium*, in *Periodica* 68 (1979) 277-304; *Fundamentum ethicum ordinis politici*: ibidem 403-438.

darietatis ac subsidiarietatis principia etiam memoranda sunt, necnon ac ipsae humani convivii regulae amplioris participationis atque socializationis, quae dicitur, iuxta socialis iustitiae praecepta. Saepe ecclesialis communitas propriam agnoscit responsabilitatem circa absolutae paupertatis situationem, quatenus inter fideles omissionis peccata habentur etiam in re sociali, ubi multa contra personae dignitatem committuntur, sicuti exempli causa sic dicta «socialia peccata», ex quibus esuritio ac famis, habitationum ac laborum inopia, educationis ac culturae indigentia, inter alia derivantur. Inde Ecclesia, ope pastoralis actionis, ampliorem iustitiam ac solidaritatem quaerit, pauperum iura tuenda proclamat, in bono communi participationem semper maiorem fovet, in re publica «iuris statum» suffragatur, etiam propheticè ad socialem conversionem conclamat¹¹.

II

Quaestio de ecclesia pauperum atque de optione pro pauperibus praecipua complexior fit ratione diversitatis *sententiarum*, praesertim circa naturam ecclesiae atque circa eius ad societatem habitudinem, necnon circa modum quo ipsa pauperum liberatio concipiatur. Ecclesiae magisterium sequentes, Episcoporum Conferentiae in America Latina programma quoddam proponunt omnibus Christi fidelibus, cuius quattuor praecipua sunt maxima axiomata:

(i) Novissima *regni Dei* perspectiva iterum fidelibus proponitur, qua omnibus aeternus Pater instanter

¹¹ F.A. PASTOR, *Liberación y Teología*, in *Estudios Eclesiásticos* 53 (1978) 355-381.

invitat ad humanae liberationis ac christianae fraternitatis veluti utopiam, ubi pax et iustitia miscentur.

(ii) *Christum ipsum* in fide Ecclesia contemplatur, filium Dei et temporum regem, qui humiliter in figura servi praesens fuit, pauperum liberationem nuntians, pauper ipse ac persecutione vexatus.

(iii) *Ecclesia semper reformanda* proclamatur, sub lumine fidei atque vi caritatis perfecta communio fit, semper nuntians evangelium liberationis et gratiae atque iustitiam regni contra huius saeculi potestates.

(iv) In humana cultura ac sociali convivione, quaeritur ut anthropologica principia effectum habeant. Sicut incarnatio Verbi Dei fit exemplar cuiuscumque fidei *inculturationis*, ita etiam redemptio servi Dei in cruce signum fit integralis hominum *liberationis*, sive a radicali malo, sive a mundi peccato¹².

Quamvis de his principiis omnes uno ore consentiant, plures tamen adsunt sententiae, praesertim circa modum vivendi optionem pauperum praecipuam atque circa modum cogitandi quandam liberationis theologiam, ad trutinam christianae veritatis revocatam:

(i) *Prima sententia theologice perspectivam sic dictae immanentiae precipue quaerit*, quatenus ab ipsa utopice liberatio concipitur, quamvis opportunitatis causa etiam via reformationis acceptetur. Momentum ethicum ac practicum ab hac sententia potius prophetice extollitur, sive in vita fidei, sive in sociali iustitia ac in ecclesiali caritate. Coram sociali peccato, momentum iustitiae regni Dei in luce ponitur atque ad

¹² J.C. SCANNONE, *Diversas interpretaciones latinoamericanas del Documento de Puebla*, in *Stromata* 35 (1979) 195-212.

fraternam caritatem omnes invitantur praesertim erga pauperes et miseros, quinimmo etiam ad societatis mutationem omnes excitantur. Ecclesiales a basi communitates ad socialem iustitiam impense motae tantum ut pauperum ecclesia agnoscuntur.

Pars eorum qui hanc ferunt sententiam simul axiomata quaedam marxiana recipiunt ac agnoscunt, praesertim circa analysim socialis inter classes pugnae atque circa motum in historia progredientem versus regnum libertatis plenum. Illorum minima tamen pars etiam quaedam leninismi politica postulata proclamabant, praesertim ad potestatem in civitate capiendam.

(ii) *Altera quaedam sententia theologice potius perspectivam sic dictae transcendentiae quaerit*, quatenus ab ipsa mystice vita fidei concipitur, simul ut conversio ad Deum sanctum atque ut praxis christiana spiritualitatis. Ipsi qui hanc proferunt sententiam simul concordiam quam maximam curant cum principiis magisterii Ecclesiae recentioris. De quaestione circa liberationem atque circa optionem pauperum praecipuam communiter doctrinam papalem atque capita praecipua a Pueblensi conferentia proposita acceptant.

(iii) *Tertia denique sententia theologice perspectivam conciliationis quaerit*, quatenus inter extrema viam fovet quae medium tenet, inter transcendentiam et immanentiam, dialectice opposita integrans. Ipsa enim Christi mandatum amoris cum praeceptis iustitiae integrat, ac simul fructum christianae salutis cum humana liberatione coniungit, quin in rebus politicis tota cum via utopica identificetur. Quaerens potius possibilem societatis reformationem quam mutationem maximam coactive factam, optio pro pauperibus praecipua tamquam excitamentum cogitatur ad pauperum iura amplius ac melius tuenda in socialibus

adiunctis. Simul enim haec sententia doctrinam a conferentiis Episcoporum in urbibus Medellín ac Puebla propositam tenet et aptius explicat, quin quaedam marxiana elementa affirmet¹³.

In sociali contextu nationum Americae Latinae, ubi simul dantur religiosa pietas ac iniusta inaequalitas, sic dicta *theologia liberationis* olim orta est, ut aptius momentum propheticum iustitiae ac momentum evangelicum misericordiae coram tristissimis adiunctis sedulo componerentur. Saepe saepius populi Dei multitudo indigentia atque inopia patitur magna, dum simul oligarchia resistit omnibus mutationibus quae vitam populi tolerabiliorem redderent. Iuxta aliquos rerum socialium peritos, causa huius tristissimae inaequalitatis ac miseriae in oeconomica ac politica subordinatione ponenda est, qua oligarchia partes capitalis tantum curat, quin partes iustitiae distributivae adaequate perspiciantur. Iuxta pastores ac theologos, solutio tantum invenietur cum novum societatis exemplar oriatur, ubi famis ac inopia, oppressio ac infirmitas omnino desint, omnium civium cura de communi bono¹⁴.

Quomodocumque sit, quaestio de pauperibus urgentior fit, ac semper consectoria melius perspiciuntur, quae ex christiana salute oriuntur et ad humanam liberationem respectum habent. In sacra pagina, Deus salutis ac liberationis pauperum saepe nuntia-

¹³ F.A. PASTOR, *Deus e a Praxis*, in *Perspectiva Teológica* 17 (1985) 179-200.

¹⁴ F.A. PASTOR, *O Reino e a História*. S. Paulo 1982; G. GUTIÉRREZ, *La fuerza histórica de los pobres*. Salamanca 1982; A. BARREIRO, *Os pobres e o Reino*. S. Paulo 1983; J.B. LIBÂNIO, *Teologia da Libertação*. S. Paulo 1987.

tur, quinimmo ipse pauperes eligit tamquam obiectum praedilectionis in afflictionibus. Quare divina pro pauperibus optio fit locus theologicus ac veluti canon in canone ad sacras litteras interpretandas. Tamquam paedagoga spei, Ecclesia Americae Latinae fidelium conscientiam ethice educare vult, ut melius sive religiosum veluti fatalismum sive sociale inter classes pugnam spiritu evangelico superent. Tamquam simul paedagoga caritatis, Ecclesia principia humanae solidaritatis ac socialis iustitiae nuntiare debet, donec victrix proclametur christiana orthopraxis ac nova oriatur societas *verae fraternitatis*¹⁵.

Quaestio tamen de optione pro pauperibus praecipua non pauca secumfert problemmata hermeneutica ac theologica, ethica ac politica ita ut plures oriantur sententiae intra motum theologicum liberationis pauperum, quae ad quattuor praecipuae reducendae sunt¹⁶:

(i) *Prima sententia sumit tamquam subiectum integralis liberationis Ecclesiam* totaliter sumptam etiam inter classes divisam, quatenus ipsa optionem pro miserabilioribus ponit praecipuam, iuxta ecclesiastica documenta. Talis affirmatur doctrina in conferentiis episcopalibus Americae Latinae, ita ut sive principia ad videndum, sive criteria ad iudicandum, sive normae ad agendum in omnibus cum catholica veritate concordent semper.

(ii) *Altera vero sententia tenet tamquam subiectum liberationis pauperum ipsum Americae Latinae populum*, quatenus est subiectum historicum totius

¹⁵ N. LOHFINK, *Von der «Anawim-Partei» zur «Kirche der Armen»*, in *Biblica* 67 (1986) 153-176.

¹⁶ J.C. SCANNONE, *La Teología de la Liberación: Caracterización, corrientes, etapas*, in *Medellín* 9/34 (1983) 271-279.

emancipationis processus in rebus oeconomicis ac politicis, culturalibus ac socialibus. Illi qui hanc tenent sententiam nationalismi partes tutantur, axiomata christianae traditionis cum principiis quibusdam saecularitatis permiscunt, quin autem marxismo redeant. Eorum socialis actio pragmatice societatis reformationem quaerit, dum populari educationi fovet.

(iii) *Tertia autem sententia subiectum liberationis pauperum tenet complexum laicorum in re politica utopice potius militantium.* Illi qui hanc affirmant sententiam societatis mutationem praesertim ope sic dictae revolutionis quaerunt, quatenus tantum hoc utopico modo societas qualitative mutatur atque omnes hominum classes aequaliter oeconomicam gerunt potestatem, quinimmo tantum sic omnia creationis bona omnibus hominibus adesse putant. Huic sententiae faventes saepe coniungunt quaedam ex christiana fide mandata cum axiomatibus philosophiae marxismi ac leninismi, quamvis opportuno modo adaptatis.

(iv) *Quarta denique sententia tamquam subiectum liberationis affirmat ipsam pauperum ecclesiam,* quae ex omnibus a basi communitatibus constituitur, quatenus tantum ipsae pro iustitia vere pugnant. Quamvis non omnes qui huic favent sententiae hoc teneant, aliqui tamen permiscunt evangelica principia et marxiana postulata, saltem quoad methodum societati analysin faciendi, immo sic dicta analysis marxiana oeconomicae inter classes pugnae tamquam instrumentum praecipuum tenent totius inquisitionis. Saepe etiam mutatio societatis quaeritur efficax, ex humano potius quam divino messianismo.

III

Cum variae sint ac discrepantes sententiae, saepe acriter disputatur, praesertim de habitudine theologiae ad humanas scientias, sive *de theologica methodo* ad Christi mysterium meditandum ac proponendum, ita ut non tantum theoretice sed etiam ethice influxum exercent apud fideles collective sumptos. Ponderus illius pro pauperibus optionis quae praecipua dicitur, nemo est qui non videat, praesertim in societatis adiunctis valde adversis. Omnia coalescunt atque influxum exercent supra sortem pauperum. Quaestio oecologica ac divisio terrarum, angustiae siccitatis atque salus indigenarum, inopia bonorum atque crisis laboris, nationum debita ac difficultas annonae. Haec omnia urgent, tamen difficulter solutionem quamdam inveniunt. Actio ecclesialis ac omnium christifidelium amplissima videtur, ut pauperum iura aptius tueantur. Ipsa tamen qua talis tantum religiosa ac ethica principia habet, nequaquam vero gaudet in re scientifica ac technica propriis solutionibus. Cum res ita sint, faciliter in desperationem ruitur ac error concipitur veluti magicae solutionis, cum utopice quaeritur mutatio societatis caeleris, dum in oblivionem mandatur lectio temporis transacti. Saepe saepius error concipitur diiudicandi sic dictum «instrumentum marxianum» veluti clavim omnium problematum. Hoc modo, ecclesialis opinionum consensus rumpitur atque laicorum in re politica unitas perturbatur, dum quaedam militantium pars utopice tantum solutionem coactivam cogitare vult, ope irreversibilis mutationis in rebus socialibus. Ecclesiae tamen magisterium nuper totam consideravit rem in diversis orbis regionibus, dum systemata omnia diiudicantur ex propriis erroribus, sive capitalismi extremi, sive collectivismi auto-

cratici, sive regiminis sic dictae «nationalis securitatis», nuper adstantis in America Latina. Quomodo autem in unum coalescere debeant libertas et communitas, pauperum necessitudines et oeconomicae mercati leges, non est res simplex nec eius solutio in aliqua perfacili cognitione versatur¹⁷.

Ad ecclesialem consensum theologicum ac ethicum iterum inveniendum, processus instaurandus est, quo puncta praecipua revelationis ac traditionis definiantur, quae totam illuminent quaestionem, sive quoad *principia* maxima ad videndum problema, sive quoad *criteria* ad eum discernendum, sive quoad *normas* ad ulterius agendum in melius¹⁸. Optio pauperum praecipua veluti synthesis videtur, qua omnia tutius aggredienda sunt. Hac vero de causa, Ecclesiae magisterium recipit ac proponit praeferentialem optionem pro pauperibus sive tamquam expressionem christianae fraternitatis et novi mandati, sive ut practicum criterium diiudicandi et agendi in hodiernis adiunctis ubi socialis pugna adest¹⁹. Inter disputatas quaestiones, praesertim in theologia Americae Latinae, cum agitur de habitudine inter salutem divinam et humanam liberationem, vere eminet methodologicum problema, quod non pauca simul comprehendit, sive circa methodum ad socialem realitatem videndam aptiorem, sive quoad usum hypothesium de sociali pugna, quae marxismo redolent. Hodie non amplius dubitari licet de opportunitate atque de utilitate ali-

¹⁷ IOANNES PAULUS II, Litt. Enc. *Centesimus annus*, n. 19, cf. 23-24.

¹⁸ Cf. F.A. PASTOR, *Ortopraxis y Ortodoxia*, in *Gregorianum* 70 (1989) 689-739.

¹⁹ IOANNES PAULUS II, *Mensagem ao Episcopado do Brasil* (9.IV.1986).

cuius liberationis ac libertatis theologiae, quae rite omnibus *de orthopraxi* quaestionibus iuxta catholicam veritatem respondeat, dum tamen ipsa iuxta fidei analogiam omnia cogitet²⁰.

Inter oppositas integralismi ac progressismi propositiones, ecclesiastica orthodoxia viam tenet mediam: Optio pauperum praecipua vere affirmatur, quin ipsa ad placita marxismi systematis concipiatur, sed e contra solummodo ex lumine fidei intelligatur ac iuxta ethica traditionis praecepta proponatur, praesertim dum agitur de nobili pro iustitia pugna²¹. Illi qui aliquomodo marxismi placita cum catholica theologia permiscere malunt, nec semper periculum subordinationis fidei ad rationem marxianam evincunt, quinimmo graves contradictiones exsurgentes nec semper adaequate considerant ac rationalismi periculo faciliter indulgent, cum criterium veritatis ultimum ipsum *fidei lumen* nequaquam videatur²². Non raro, a

²⁰ CONGREGATIO PRO DOCTRINA FIDEI, Instr. *Libertatis nuntius*, c. iii, n. 4: «Desiderium *liberationis*, quem ad modum dictio suadet ipsa, iterum suscipit principale quoddam argumentum Veteris ac Novi Testamenti. Ita quidem in se intellecta locutio: «theologia liberationis» plane valet: meditationem enim theologiam denotat argumenti biblici de liberatione ac libertate necnon considerationem prementis necessitatis cotidianarum eius consecutionum».

²¹ *Ibidem*, c. vi, n. 3: «Nonnulli sic moventur urgente necessitate panis partiendi ut secludant in diemque proximum reiciant evangelizationem ipsam: primum panis, postmodum verbum. Capitalis error est ea duo separare, eoque magis inter se opponere».

²² *Ibidem*, c. vii, n. 10: «Lux enim fidei propria principia subministrat theologiae. Elementorum itaque philosophiae vel scientiarum humanarum usus a theologo ipso habet suum momentum uti «instrumentum» debetque critico subici iudicio indolis theologicae».

priori postulata ordinant intelligentiam rerum, simpliciiori quodam modo consideratam atque cum tantum quae rebus politicis interest considerentur, totum fidei nuntium sive theologice sive ethice magnopere reducitur. Cum marxiana enim axiomata rite affirmantur in intellectu fidei, ideas sive *hominis novi* sive recti agendi modi valde mutantur, cum non tantum consideretur homo ut Dei imago ipsumque Deum imitans per actiones iustitiae et misericordiae, sed ipsa quae dicitur orthopraxis valde differt ab ethica fraternitatis in Christo cum nimis violentiae ac vi indulgeat ad motum revolutionis in societate curandum²³.

Eschatologice tamen, dum momentum historicae immanentiae extollitur, pondus transcendentiae facile amittitur, humana liberatio ac regnum Dei indiscrete identificantur atque principium caritatis non raro axiomati historicae inter classes pugnae subordinatur²⁴. Etiam in ecclesiali communitate non raro quaedam praecipua subvertuntur, dum ipsa Ecclesia tantum ut signum humanae liberationis concipitur ac Christus ipse videtur tamquam propheta aliquis pro iustitia pugnae²⁵. Ad tales exsuperandas difficultates, ecclesialis orthodoxia in fide intelligenda

²³ *Ibidem*, c. ix, n. 6: «Tota enim fidei doctrina aut theologiae subditur cuidam politicae regulae, quae ipsa vicissim pendet ex sententia de classium contentione uti historiae incitatrice».

²⁴ *Ibidem*, c. ix, n. 7: «Quapropter universalis natura amoris proximi ac fraternitas fiunt eschatologicum principium quod soli «novo homini» valebit qui ex eversionis victoria exorietur».

²⁵ *Ibidem*, c. x, n. 11: «Patet autem hinc fidem negari in Verbum incarnatum mortuum ac resuscitatum propter omnes homines, et quem Deus Dominum et Christum fecit (Act. 2, 36). Pro eo autem submittitur «figura» Iesu quae species quaedam signi est in se colligentis postulata contentionis oppressorum».

principium continuitatis ac cohaerentiae admonet, dum omnino fideliter revelationi ac traditioni obsequium offertur²⁶.

Habitudo evangelii ad humanam libertatem ac liberationem semper clarior videtur, dum tamen visio theonoma seu creaturalis hominis tenetur ac tota res sub lumine veritatis consideratur. Humana creatura, ex divino simul proposito, semper ampliorem quaerit participationem atque omnia adversa superare vult. Historica vero phaenomena tantum ex luce ultimae veritatis dilucidanda sunt, quatenus solummodo ex illa claritate humanae finitudinis ac alienationis mysterium aliquod invenit responsum. Hominum historia illorum impetum luculenter demonstrat ad *regnum libertatis* instaurandum. Dei revelatio fidelibus offert et creaturalitatis conscientiam et beatitudinis desiderium maximum simul cum responsabilis libertatis autonomia. Quatenus et religio foederis est, fides divina conscientiam humanae dignitatis ac ethicae responsabilitatis altioreffert. Saecularitatis tempore homines novam habent conscientiam ad ignorantiam ac superstitionem, oppressionem ac miseriam devincendas, ita ut in re publica nova iura agnoscantur ac protegantur²⁷. In aliquibus mundi regionibus, plura obnoxia victa iamiam videntur, ut sic dicta absoluta paupertas ac quaedam autocratica systema-

²⁶ Cf. *Ibidem*, c. x, n. 8: «Ceterum, probata Magisterii interpretatione recusata, quae uti classis explicatio reicitur, simul a Traditione disceditur».

²⁷ CONGREGATIO PRO DOCTRINA FIDEI, Instr. *Libertatis conscientia*, n. 5: «Ita inquisitio libertatis et aspiratio ad liberationem, quae inter praecipua temporum signa sunt habenda, quae mundum hac nostra aetate connotant, originem suam primam ducunt ab hereditate Christianae religionis».

ta. Tamen multa adhuc remanent ulterius debellanda, ut exempli causa incumbentia pericula oecologicae destructionis atque sic dictae geneticae manipulationis. Aliquando formae oligarchicae in rebus oeconomicis ac socialibus dominant, dum magna populi pars inopia laborat. Novae ergo liberationis pugnae necessariae videntur ad novas evincendas servitutes. Christi religio, quatenus est dialogus divinae revelationis ac fidei assensus, vim offert maximam ad propriam liberandam libertatem interioris hominis, ope divinae gratiae efficaciae iustificationis ac sanctificationis. Dum crux Christi prae oculis habetur, hominis reconciliatio cum Deo perspicitur, ac simul malum radicitus evincendum promittitur. Ex propria religionis conscientia, motus liberationis exsurgit, sub luce etiam Christi mandati amoris ac fraternitatis, veritatis ac iustitiae²⁸.

IV

Circa optionem pro pauperibus praecipuam plura adsunt *theologica argumenta*, quae praesertim habitudinem inter historicam pauperum liberationem ac mysterium salutis in Christo considerant. Quaestio de pauperum liberatione theologice perspecta clarior fit, dum sub lumine fidei consideratur ac fundamentalis tensio perspicitur inter creationem ac peccatum atque inter peccatum et gratiam redemptionis. Tantum sub luce divinae revelationis humana libertas recte perspi-

²⁸ *Ibidem*, n. 22: «Res est haec magni momenti theologi et pastoralis, pauperes, a Deo prae ceteris amati, melius intelligant, velut instinctu quodam, liberationem absolutissimam, qualis est liberatio a peccato et a morte, esse liberationem, Christi morte et resurrectione peractam».

citur, quatenus simul essentialiter finita est atque aliquoties existentialiter alienatur, dum a Deo separatur ac plane disiungitur. Cum homo totus infiniti desiderio moveatur, saepe propriam obliviscens finitudinem, amplius vult non raro quam ipse potest. Eius autem libera finitudo, cum a iustitia ac veritate scinditur, destruens fit. Sed e contra, cum homo vera *Dei imago* ac similitudo in essendo atque in agendo fit, fundamentum invenit ultimum propriae dignitatis. Ipsa responsabilis libertas nobiliorem invenit vocationem in Dei iustitia ac misericordia imitanda²⁹.

Habitudo quae datur inter hominis libertatem, quatenus ipsa naturalis potentia est, ac historicam liberationem, quae potius ut processus concipienda est, tantum rite concipitur cum sub lumine creationis dogmatis ponitur. Ex Deo creatore homo accipit donum essendi ac libere essendi. Inter Creatorem ac creaturam rivalitas non datur, nam tota sua homo ex participatione ac communicatione accipit a providentissimo Patre. Quatenus creatura labilis est, cum Dei memoria amittitur ac via servitii Dei deletur, homo vertitur in partes tenebrarum atque a divino fundamento alienus fit. Exinde etiam liberationis motus oritur ad obstacula omnia superanda, donec exercitium libertatis in bonum certum sit atque ampliores vitae condiciones exstent³⁰.

Humana libertas ulterius determinatur ex vitae condicionibus, quatenus in familia ac labore, in

²⁹ Mt 5, 43-48; Lc 6, 27-36, cf. Lv 19, 2.

³⁰ Instr. *Libertatis conscientia*, n. 31: «Ex libertatis notione clarius intelligitur quid contineat liberatio temporalis: scilicet agatur de summa processuum qui spectant ad procurandas et in tuto ponendas condiciones, quas exercitium verae libertatis humanae requirit».

communitate ac societate vita geritur libera sed adversitatibus obnoxia. Dum socialis ordo quaeritur iustus, bono communi fovetur ac liberationis motus roboratur, ita ut historice Dei praesentia ac gloria melius perspiciatur. Cum humana libertas abstracte non subsistat, impense pugnare debet, ut omnes vitae condiciones iuxta ethica praecepta vere adsint. Splendor hominis creati ad imaginem Dei, non tantum finitudine, sed potius alienatione turbatur, quatenus bonum negligitur ac malum praefertur. Malum vero morale phaenomenice idololatriae formam extremam sumere potest, cum summi Numinis incondicionalitas negatur atque bono contingenti tribuitur qualitas maxima absolutae realitatis propria. Tunc incipit alienationis processus perversae finitudinis atque hominis exsistentia ingreditur vestigia erroris, dum via ad veritatem clausa remanet³¹. Coram hac animi contentione inter creaturalitatem ac peccatum, inter finitudinem ac alienationem, inter electionem boni ac malitiationem, evangelium gratiae nuntium libertatis verae ac altioris liberationis est. Dum peccata relinquuntur ac divina iustificatio ac redemptio acceptantur, tunc libertas creata a malo liberatur atque ad bonum faciendum apta redditur, sicut salutis historia luculenter edocet. Ita Dominus creationis ac electionis, Deus foederis ac salutis fit Rex liberationis et spei³².

In *Veteri Testamento*, exodus populi Dei exemplar offert actionis liberatricis in historia salutis. Populi vita sub foedere ordinatur, ac veluti oblatio fit in

³¹ *Ibidem*, n. 37: «Hominis peccatum, scilicet alienatio a Deo, causa prima est calamitatum, quae historiam libertatis notant».

³² Jer 5, 23; 31, 31.

servitium Dei, mystice ac historice. Relatio populi ad Deum iuxta ethicam fidelitatis gubernatur, dum habitudo inter homines iuxta ethicam fraternitatis componitur³³. Etiam in hac primaeva populi societate de pauperibus, de orphanis, de viduis, de infirmis, de migrantibus, de esurientibus cura habetur. Deinde prophetae populi nuntium electionis ac foederis iterum proclamant, peccata contra iustitiam ac fraternitatem denuntiant, novum autem foedus gratiae Dei nomine promittunt³⁴. Ipsi denique populi sapientes pauperibus ac oppressis Deum spei nuntiant. Iusti autem ad Deum clamant, quaerentes de iniustitiis liberationem³⁵. Piam demum agentes vitam, *pauperes Domini* fideliter semetipsos consecrantur in Dei oblationem ac holocaustum spiritale³⁶.

In *Novo Testamento* autem spes ultima communionis promittitur ac Deus liberationis ac salutis nuntiatur iamiam regnans. Ipsa mater Messiae, Maria, sicuti Sion fidelis ostenditur ac veluti pauperum fidei speculum. Iure *pauperibus* populi Iesus nuntiat evangelium gratiae ac Dei regnum, ubi a malo et peccato omnes liberantur. Deus liberationis ac regni omnes invitat ad conversionem et poenitentiam, ad iustitiam ac vitam novam. Iesus salvator fit in figura servi ac iusti, verus magister divinae voluntatis ac propheta novissimus liberationis pauperum, medicus humanae miseriae ac omnis mali exorcista, testis veritatis ac intercessor coram Patre. Iesus magister discipulos ad

³³ Ex 3, 13.

³⁴ Is 41, 14.

³⁵ Ps 130, 7-8.

³⁶ Instr. *Libertatis conscientia*, n. 44: Eventus igitur maximus et fundamentalis Exodi significationem habet religiosam simul ac politicam».

paupertatem ac humilitatem sequentes invitat, unusquisque baiulans sibi crucem³⁷. Discipuli autem omnes iustitiae fructus ac bona opera misericordiae erga indigentes facere debent, infinitam Patris bonitatem imitantes³⁸. Dei gratia praesens fit tempore novi foederis ope divinae communicationis in mysterio paschalis Christi atque in dono Spiritus reconciliationis. Gratia Dei enim fit vere liberatrix, cum humana libertas vere a malo liberatur et fidelis vere redditur liberationis faciendae capax, dum fructus iustitiae producuntur. Immo robur divini Spiritus valde fidelibus auxilio est, sive ad Christum magistrum fideliter insequendum, sive ad Dei voluntati obedientiam praestandam in servitium regni³⁹.

In Christo reconciliatus, una cum dono Spiritus, discipulus accipit animi firmitatem ad universalem caritatem exercendam, dum fidelissime Christi vestigiis sequitur ac Patris misericordiam imitatur. Communitas novi foederis *novum mandatum amoris* a Christo accipit, etiam pro inimicis⁴⁰. Inter Christi salutem ac pauperum liberationem distinctio quaedam adest, non vero separatio seu oppositio⁴¹. Christi discipuli simul in tempore ac in spe vivunt atque in servitium regni vocantur, ut pacifice pro iustitia pugnent ac temporum signa rite discernant, dum paupe-

³⁷ Mc 8, 35.

³⁸ Lc 6, 35-36; Mt 25, 40.

³⁹ Instr. *Libertatis conscientia*, n. 52: Tota libertatis christianae ratio consistit in iustificatione per fidei et Ecclesiae sacramentorum gratiam, quae nos et a peccato liberat et in communionem cum Deo introducit».

⁴⁰ Mc 12, 30-31.

⁴¹ Lc 10, 25-37.

rum liberationem ac omnium fraternitatem quaerunt⁴².

Communitas discipulorum Iesu, in servitium regni Dei, vere veluti integralis *liberationis ministra* exsurgit, dum ad pauperes videlicet diligendos singulari caritate vocatur. Evangelii nuntium autem sive in personali conscientia sive in humana societate incidere fas est⁴³. Ut vere iustitiae ac solidaritatis causa promoveatur, actio discipulorum recte a principiis et criteriis christianae fidei illuminanda est. Quin theocratice temporalis geratur ordo, communitas discipulorum responsum dare debet illis pauperum ac omnium bonae voluntatis hominum desideriis, ad culturam vere theonomam fovendam. Missio Christi, qui absolutus mediator est revelationis ac salutis, aliquomodo remanet in missione ac ministerio communitatis discipulorum eius. Ecclesialis communitas enim evangelio gratiae credit, eoque vivit idque nuntiat. Homo a peccato liberatur atque a sequelis huiusmodi, dum interior ac exterior, personalis ac socialis liberatio promovetur⁴⁴.

Communitatis missio quodammodo includit iustitiae socialis promotionem. Ecclesiae socialis actio ad fundamentalia pauperum iura tuenda non reducitur. Inter socialem iustitiam ac divinam iustificationem, inter liberationis pacificam pugnam ac mysterium salutis in Christo altior adest simul unitas cum diversitate coniuncta: Unus est Deus creationis ac salutis,

⁴² Instr. *Libertatis conscientia*, n. 57: «Ex caritate evangelica et vocatione omnium hominum ut filii Dei fiant, manat directa et imperiosa exigentia singulorum quemque hominem colendi quoad eius iura ad vitam et ad dignitatem».

⁴³ Lc 4, 18.

⁴⁴ Jn 13, 29; 2 Cor 8, 9.

unus autem est homo in tempore degens atque ad aeternitatem progrediens. Duplex autem est labor, spiritalis nempe ac temporalis. Ministerio salutis, Ecclesia directe quaerit omnium hominum salutem in Christo, quin mandatum iustitiae relinquat. Evangelii nuntium, dum creditur, valde tamen iuvat ad integram promovendam liberationem pauperum, cum fraternitatis ac iustitiae praecepta servantur. Ecclesiae magisterium sedulo proponit omnibus *optionem pro pauperibus praecipuam*, quae ut eximia forma adimplendi caritatem Christi perspicitur atque ut modus perspicuus Christum ipsum sequendi. Iesus autem pauperibus evangelium nuntiabat ac beatos ipsos proclamabat⁴⁵. Iesu discipuli, dum misericordiam ac iustitiam agunt, pauperum liberationem oblivisci nequeunt. Ecclesiales autem communitates, quatenus fraternam bonorum communionem vivunt atque dum societatis reformationem vere quaerunt, fideles ducunt ad ethicam fovendam solidaritatem, cum simul socialis obiurgatio in pacificam pro iustitia pugnam rite mutatur⁴⁶.

V

Plura etiam dantur *ethica argumenta* circa optionem praecipuam pro pauperibus, quae ex consideratione difficultatum oriuntur atque cum principiis,

⁴⁵ Mt 6, 19-20.

⁴⁶ Instr. *Libertatis conscientia*, n. 63: «Ecclesia vult hominis bonum iuxta omnes eius aspectus, prius quidem quatenus pertinet ad civitatem Dei, deinde vero quatenus ad terrestrem civitatem pertinent».

criteriis ac normis christianae ethicis coincidunt. Christi enim religio vere altiore synthesi facit ex mystica divinae salutis ac ethica humanae fraternitatis. Ex gratia iustificationis ac reconciliationis oriuntur certitudo spei ac liberationis obligatio. Evangelium regni Dei, iuxta eius sanctitatis ac iustitiae praecepta, hominum communitatem reddit meliorem, dum ethica fraternitatis fovetur ac pacis cultura roboratur. Simul cum divina revelatione ac traditione fidelibus offertur theologicum ac ethicum depositum veritatis ad vitam dirigendam iuxta principia ac criteria, quae cum spe christiana componuntur cohaerenter. Tamquam *principia* anthropologica ultima considerantur theologia hominis creati ad imaginem Dei atque ethica christianae fraternitatis ac communionis, quae in authentica cum pauperibus solidaritate consistit. Iterum fidei traditio omnibus proponit ethicam quandam theonomam humanae societatis, in qua persona vere est subiectum iurium ac officiorum dignissimum, commune semper respiciens bonum. Res publica ac individua mutuo ordinantur, ope principiorum participationis ac solidaritatis, subsidiaritatis ac socialis iustitiae⁴⁷.

Quoddam theonomum *solidaritatis ethos* omnia socialia ac historica adiuncta iudicare debet ad trutinam principiorum illorum, quin autocratico collectivismo atque extremo individualismo indulgeat. Quinimmo quaedam vera denuntiationis *criteria* definienda sunt, ut aptius opposita videantur sive systemata sive contraria, quae verae fraternitati adversantur,

⁴⁷ IOANNES XXIII, Litt. Enc. *Mater et magistra*, n. 235; PAULUS VI, Ep. Apost. *Octogesima adveniens*, n. 4; IOANNES PAULUS II, Litt. Enc. *Sollicitudo rei socialis*, n. 8.

quatenus oppresionem ac miseriam consolidant. Solidaritatis ethos ad amplius societatis mutationem ac structurarum reformationem fovendas oblivisci non debet necessitatem conversionis ad Deum, quin tamen ignoret nobilem pro iustitia pugnam. Peccatum ergo sociale non negatur, cum personalia peccata confitemur⁴⁸. Ethos ergo solidaritatis, ut vere efficax sit, evincere simul debet religiosum fatalismum ac politicum fanaticismum, dum exemplar societatis quaeritur, ubi iustitia ac ius dominium teneant. Tempora ac modi, media ac fines, *normae* omnes ad agendum paratae, rite iuxta principia et criteria ordinanda sunt, praesertim quoad programmata actionis pastoralis Ecclesiae ac actionis socialis laicorum in Re publica. Laici autem in rebus socialibus non raro tripartito dividuntur: Illi nempe qui partes conservationis sustinent, illi vero qui potius societatis reformationem volunt, illi denique qui tantum motum revolutionis quaerunt. Cum multa vel fere omnia reformanda sint, plures sine spe remanent alicuius socialis mutationis, quae semper habet oligarchicam potestatem tamquam partem adversam fortiolem. Plures ergo non solum partes conservationis reiciunt, sed etiam partes reformationis pacifico modo atque tantum motus revolutionis efficax iudicatur ad miseriam tollendam, ope classium oppugnationis. Ita enim prudentia politica relictā, tempus venit asperum in Re publica⁴⁹. Inter opposita extrema dilemmatis, dum profertur, nempe, aut conservatio aut revolutio, via media praediligenda

⁴⁸ PIUS XI, Litt. Enc. *Quadragesimo anno*, nn. 79-80; IOANNES XXIII, Litt. Enc. *Mater et magistra*, nn. 132-133; CONC. VATICANUM II, Const. past. *Gaudium et spes*, n. 25.

⁴⁹ Litt. Enc. *Populorum progressio* n. 31; Litt. Enc. *Laborem exercens*, n. 20; Instr. *Libertatis conscientia*, nn. 76-78.

videtur, partes reformationis sustinens. Cum tristissima enim pauperum adiuncta videntur, fideles laici impense exhortandi sunt, ad socialem quaerendam iustitiam atque ad commune bonum curandum, ut ampliorem participationem ac solidaritatem omnes possint habere⁵⁰.

Cum omnia haec attente perspiciuntur, rite tantum ethos solidaritatis proponitur ut clavis alicuius integralis pauperum liberationis ab inopia ac miseria, dum nobilis pro iustitia pugna una cum vi fraternitatis geritur, quae actio vere consona est cum theonoma visione hominis creati ac in Christo redempti, qui cooperans cum divino providentiae consilio vere fit. Iura autem proprietatis privatae bonorum, sive nationalia, sive personalia sint, recte communi utilitati subordinanda sunt, dum *finis universalis* bonorum creationis affirmatur⁵¹. Dum hostile inter classes societatis ac inter nationes septentrionales ac meridionales odium evincitur, carentia divitiarum ac praesentia inopiae ope solidaritatis socialis ac internationalis superantur ac insimul pauperum classes meliorem sortem sperare quaeunt. Regula etiam subsidiaritatis servanda est, inter ea quae ad sphaeram familiae pertinent ac ea quae ad Rem publicam spectant. Fundamentales sic dictae libertates sive ad religionem exercendam, sive ad educationem obtinendam, sive ad opinionem iustam sustinendam, sive ad Rem publicam aequo gerendam, rite tueantur oportet, dum ea omnia quae opponuntur iniuste ope aequae reformationis legum ac ordinationum tollantur⁵². Theologia

⁵⁰ Const. past. *Gaudium et spes*, nn. 75-76; Instr. *Libertatis conscientia*, nn. 80-82.

⁵¹ Ep. Apost. *Octogesima adveniens*, n. 46; Litt. Enc. *Laborem exercens*, nn. 18-19.

⁵² Const. past. *Gaudium et spes*, nn. 59-60.

ergo fraternitatis humanae ac ethica christianae solidarietatis vere fructus iustitiae producere debent, donec demum iniustae inaequalitates superentur, sive inter classes, sive inter populos. Re vera, miseranda adversa increscunt, dum simul inopia ac indigentia, ignorantia ac miseria fiunt ampliores. Adversus misera paupertatis adiuncta, tantum pacifica pro iustitia pugna ope fraternitatis ac solidarietatis radicitus solutionem inveniet, ita ut sic dictae peccati structurae adaequate expugnentur atque optio pro pauperibus praecipua novis caritatis ac iustitiae formis exprimatur⁵³.

Quaedam iam nunc *ad instar conclusionis* proferenda sunt. Cum hodie de pauperum liberatione disputatur atque de praecipua pro pauperibus optione disceptatur, saepe saepius sententiae bipartito dividuntur, dum aliqui potius societatis mutationem ope revolutionis tantum desiderant, aliqui autem ope reformationis quaerunt, quae vere cum revelatione divina ac traditione christiana cohaerens sit ac consona. Ecclesiae magisterium talem profert liberationis notionem, quae cum Christi mysterio componitur, ita ut divina dogmata et creationis et redemptionis et vitae novae in Christo omnia illuminent. Ita enim in unum reducenda sunt et maxima fraternitatis ac aequalitatis principia et pragmatica reformationis methodus, ope praesertim laicorum fidelium, dum ipsi iustitiam sociale in Re publica quaerunt⁵⁴. Dum

⁵³ Litt. Enc. *Sollicitudo rei socialis*, nn. 42-43.

⁵⁴ Litt. Enc. *Centessimus annus*, N. 42: «Marxismi solutio male cessit, sed manent in mundo quaedam condiciones derelictionis et abusiois (praesertim in Tertio Mundo), necnon alienationis humanae (praecipue in Nationibus excultioribus), contra quas Ecclesia vocem suam fortiter attollit».

autem principium cohaerentiae ac continuitatis in veritate fidei affirmatur, magisterii documenta fidei analogiam proponunt, tamquam criterium noeticum, simul excludens omnia quae rationalismo ac marxismo sapiunt, quin proponant ea quae quietismo redolent. Hoc modo, *aurea via media* solutionem proponit, optionem pro pauperibus praecipuam affirmans tamquam criterium moralitatis christianae, dum simul haec intelligitur optio iuxta sensus Ecclesiae percepta. Ad mentem magisterii, evangelium Christi nuntium est libertatis ac liberationis, nam Deus creationis et salutis simul Dominus liberationis est pauperum. Christus etiam proponit regulam auream amoris ac mandatum novum verae fraternitatis et amicitiae. Quare dicitur: «*Est haec sane optio seu singularis forma primarum partium tenendarum in caritatis christianae exercitatione, quam tota Ecclesiae Traditio testatur*»⁵⁵.

FÉLIX ALEJANDRO PASTOR, S.J.

⁵⁵ Litt. Enc. *Sollicitudo rei socialis*, n. 42: «Volumus autem unum ex his in lumine ponere: *optionem* pauperum et *amorem potioem* erga eos».

IOANNES PAULUS II, Alloc. «Nueva Evangelización, Promoción humana, Cultura cristiana». «Jesucristo ayer, hoy y siempre» (Santo Domingo, 12.X.92), n. 16: «En continuidad con las Conferencias de Medellín y Puebla, la Iglesia reafirma la *opción preferencial en favor de los pobres*. Una opción no exclusiva ni excluyente, pues el mensaje de la salvación está destinado a todos».